



Continentur hoc volumine.

1. D. Job. Müllern Atheismus Devictus.
2. M. Jani Atheus refutatus et ad veram religionem conversus sub p̄sidio D. Nienāij
3. D. Kortholt de Religione naturali contra Naturalistas et Remonstrantes p̄ Lic. A. Franck.
4. D. I. Musaej questio; An ductu luminis nature et principiorum rationis homo ad salutem aeternam pertinere possit?
5. D. Petri Musaej Oratio contra Atheos cum iustitia Dei spugnare contendentes quod malis bona in hac vita contingant.
6. Bechmannij disp. de Deo quatenus ex lumine nature cognosci potest. R. Reimer.
7. Frölinojij disp. De Deo lumine rationis cognoscibili R. Lübbren.
8. M. Swiggenij disp. de Attributis Divinis an et quomodo ea inter se et ab essentia differant. R. Heringes.
9. M. Hundshagen de Unitate Dei R. Wendeling.
10. M. Müller de Summa Dei perfectione R. Dommex
11. M. B. Müller de quibusdam Distinctionibus Unitatis Divinae R. Schultesius.
12. M. Spruthenij de propagine anime rationalis R. Laubingon.

Sammelband

64
26

15.

14

DEO IMMORTALI ANNUENTE

ac

AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA

CONSENTIENTE,

DISSERTATIONEM PSYCHOLOGICAM

De

IMMORTA-
LITATE ANIMÆ
HUMANÆ

Publico ac placido eruditè Philosophantium

Examini

Ad diem Novembris

A. O. R. clā 13c LXII.

sistunt

M. PHILIPPVS AMANDVS

HORST / JENENSIS

&

CASPARUS DIDELIUS,

GERENA THURINGUS.

JENÆ

Prelo WERTHERIANO.



DEO IMMORTALI ANIMAE
ACADEMIAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE
DISERTATIONEM PSYCHOLOGICAM
IMMORTA-
LITATE ANIMAE
IVIMANAE

Ab dem November
A. O. R. ob Jac. XL.
M. PHILIPPVS AMANDVS
BOGOTENSIS
CASPARVS DIDELVS
GERENVS THUNINGVS





BONO CUM DEO!
DISSERTATIONIS PSYCHOLOGICÆ

De

Immortalitate animæ humanæ.

PROOEMIUM.



Uæ sunt partes hominis essentiam constituentes, *anima* nempe & *corpus*, quarum *prior* formam repræsentat, materiam *posterior*, cumque forma naturâ sit potior, quàm materia, meritò quoque *anima* diligentiori, quàm *corpus* pensitatione est digna: Nil dicam, de divinæ imaginis & similitudinis simulacris, quæ in anima (quamvis in misero hoc naturæ statu admodum tenebricosa) supersunt. Nil dicam, de aliis prærogativis, quibus corpus multis parasangis post se relinquit. Hoc saltem dico, originem *corpus* habere elementarem, & propter qualitates elementares mutuò in se agentes tandem interire; *Anima* verò essentiam esse spirituales, & à corpore posse separari ut æternum à caduco, & immortalis species à mortali. Hæc *anima immortalitas* quamvis nemini nostrum ignota esse debeat, fuerunt tamen olim & adhuc sunt, qui eam tanquam figmentum rectæ rationi dissonum, & sacris literis contrarium planè respuunt. Priscos inter Philosophos impia hæc sententia à plerisque; Epicuro Atheniensi (an rectè, dissentiunt Autores) tribuitur; nostro verò tēpore Photiniani mortalitatis animæ propugnatores sunt acerriimi. Ideoque utrum illa rationibus Philosophicis probari posset, paululum si inquirerem, laborem haud fore frustra-



neum duxi. Quo autem ordine eò prosperiori progredi-
ar, totum negotium in quatuor dispescam sectiones, qua-
rum *prima* præcognita quædam; *Secunda* rationes veram
sententiam confirmantes; *Tertia* rationes veram sententi-
am oppugnantes; *Quarta* responsa rationes antecedentes
dissolventia continet. Faxit Deus, ut cedat feliciter!

SECTIONIS I.

Nonnulla hanc circa quæstionem præcognita exhibentis

§. I.

NE in primo statim limine nos demus præcipites, unum
alterumve notatu maximè dignum præmittemus.

§. 2. Et primò quidem ad vocem *anima* monemus,
nos illam controversiam, an detur aliqua anima, hîc inta-
ctam relinquere, & tanquam certam præsupponere volu-
isse; ipsum autem vocabulum *anima* ab acceptionum va-
rietate liberabimus.

§. 3. Sumitur enim vocabulum *anima* (1.) pro ventu
seu aère. (2.) pro flatu fallium. (3.) pro vita. (4.) pro homi-
ne. (5.) pro desiderio & voluptate sive amore. (6.) pro spiri-
tu ac altera hominis parte. Deinde *anima* alia dicitur esse
vegetativa, alia sensitiva, alia rationalis sive humana: Nos
de ultima loqui ex ipsa disputationis nostræ patet inscri-
ptione. Porrò ipsa *anima humana* consideratur vel quate-
nus est cum corpore unita, & forma hominis appellatur;
vel quatenus est extra corpus. Posteriori modo impræsen-
tiarum nos contemplamur. Vid. de vario vocis *anima* si-
gnificatu Thom. Sagitt. *Exerc. Phys. Disp. 19. th. 2. lit. a.*

§. 4. Nec minori vox *immortalis* ambiguitate est de-
gravata. Facit enim Nonnemo *Disp. de immort. animorum*
§. 7. immortalitatē triplicē: *æternitatis, ævi, temporis*. *Æter-*
ternitatis vocat, quæ simpliciter à parte *antè* & *post* termino
caret, omniq; prorsus successione, ita, ut horū *incapax* quo-
que sit: *Ævi*, quæ saltē à parte *post* ex dispositione superioris
agen-

agentis termino caret, ita tamen, ut ejus per annihilationem non incapax sit: *Temporis*, quæ ab utraque parte terminum agnoscit.

§. 5. At ultimum hujus distinctionis membrum cum immortalitate, nisi impropriissimè loqui velimus, stare haud potest. Siquidem *immortale* est corruptioni non esse obnoxium. Quid autem, *ab utraque parte terminum agnoscere*, est aliud, quàm corrumpi posse? Nos cum B. Scheiblero *tr. Metaph. lib. 2. c. 5. n. 13.* distinctionem hanc faciemus tantùm bimbrem, ac distinguemus inter *immortale à parte ante*, quod & principii & finis est expers, & inter *immortale à parte post*, quod ortum quidem habet, fine autem caret. Posteriori modo anima humana dicitur immortalis, non autem priori.

§. 6. Secundò *immortale* dicitur *vel simpliciter tale, vel secundùm quid*. *Simpliciter tale* est, quod nullo prorsus modo, quicumque is sit, desinere potest: & h. m. Solus Deus dicitur immortalis. *Immortale secundùm quid* est, quod pro certo aliquo statu, vel juxta peculiarem modum corruptionis est incapax: ita animæ humanæ immortalitas tribuitur. Licet enim humanam animam mortalem esse nullam implicet contradictionem, nullum tamè intra se desinendi habet principium, sed ipsi perpetuitas debetur suâ naturâ.

§. 7. Tertiò eandem distinctionem Alii aliis proferunt verbis, distinguentes inter *immortale per naturam, & per gratiam*, quos tamen terminus pariter non uno accipiunt modo. Ita enim hac de re B. Scheiblerus *l. d. c. 4. n. 69.* loquitur: *Aliquando incorruptibile per naturam vocatur, cujus naturâ non potest admitere corruptionem; vel juxta naturalem, vel juxta obedientialem potentiam, ideoque per comparisonem etiam ad quodvis extrinsecum. Talis igitur incorruptibilitas secundùm naturam coincidit cum incorruptibilitate illa, à qua ens dicebamus incorruptibile simpliciter.*

Unde ista soli Deo convenit, & in hac oppositione, si aliquod ens creatum perstet, & non desinat, dicitur incorruptibile vel immortale per gratiam. Et num. 74. Nunc aliter etiam sumitur incorruptibile per naturam & per gratiam. Incorruptibile per naturam dicitur, quod per naturam, sive à natura, prout Deo contradistinguitur (ita enim fit sæpè, veluti cum dicimus, Deum & naturam nihil frustra facere) non corrumpitur. Tale quid est omne illud, quod non corrumpitur, nisi per retractio- nem manus, vel, ut Philosophi loqui solent, per suspensionem generalis influxûs divini, &c. Item num. 75. Unde rursus li- quidum est, quid dicatur incorruptibile per gratiam. Id nempe est incorruptibile per gratiam, quod cum ex vi nature sua tan- dem collaberetur, vel etiam intra naturam ab aliquo agente deperdi posset, tamen speciali procuratione alterius, ab interi- tu defenditur.

§. 8. His ita præmissis, patet controversiæ status, ani- mam videlicet humanam immortalem esse, non à parte ante & simpliciter, sed à parte post, & secundû quid, & est immor- talis per naturam, non priori, sed posteriori modo. Atque nostram hanc thesin rationibus (ut opinamur) sat validis probatam dabit

SECTIO II.

Rationes veram sententiam confirmantes exhibens.

§. I.

Silentio jam dicta, quæ ex sacris pro immortalitate ani- mæ afferri solent literis, ne falcem alienam in messem mittere videamus, præteribimus, videat, cui placet, ea ci- tata à B. Gerhardo, Theologo de Ecclesia Christi insigniter merito in LL. Theol. loco de morte pag. 236. seqq. B. Calixto de immort. anima & resur. carn. cap. 3. §. 7. 8. Excell. Domi- no Zeisoldo Patrono ac Promotore nostro omni honoris ac ob- servantia cultu æviternum devenerando, in aureo tract. de consen. ac appar. dissen. Aristotelis cum Script. S. Disp. 5. the- or. 8. §. 43. & Aliis. Nos in præsentî tantum videbimus, utrum

utrum animæ humanæ immortalitas rationibus possit probari Philosophicis? Ac pro affirmativa sit

§. 2. Arg. 1. Quicquid neque intrinsecè ex principiis Physicis constat, neque aliàs à materia dependet, illud est immortale. Anima humana neque intrinsecè constat ex principiis Physicis, neque aliàs à materia dependet. E. anima humana est immortalis. *Major* probatur, quia corruptio strictiùs dicta est compositi in principia Physica resolutio; ut verò & suò modò de formis dicitur, notat formæ, à materiâ solutæ, desitionem vel interitum. Quicquid ergò ejusmodi est, ut nec compositum sit ex principiis, nec ab illis dependeat, quomodo vel in principia resolvi poterit, vel modo alio ex mutatione materiæ interitum metueret? *Minoris prius* membrum exinde constat, quia anima neque ex forma, neque ex materiâ consistit. *Non ex priori*, quia anima ipsa est principium compositi physici, forma scil. hominis: Principia autem notum est non esse ex aliis. *Forma* igitur est anima humana, non autem *ex forma*. *Non ex posteriori*, quia anima sic statueretur materiata, quod absurdum. *Posterius minoris* membrum patet, quia anima si dependet à materia, dependet à materia vel in fieri, vel in esse. Sed neutrum dici potest. E. planè non ab eâ dependet. *Prius* negat ipse Philosophus *lib. 2. de gen. anim. cap. 3.* inquiens: *λείπεται δὲ τὸν ὄντων μόνον ἴσχυαθαι ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. οὐδὲ γὰρ αὐτῆς τῆς ἐνεργείας κοινωνεῖ, σωματικὴ ἐνεργεία h. e.* *Restat igitur, ut mens sola extrinsecus accedat, eaq̃ sola divina sit. Nihil enim cum ejus actione communicat actio corporalis.* *Destructo* igitur priori, cadit & *posterius*, animam nempe non dependere à materia *in esse*.

§. 3. Arg. 2. Quodcunque habet operationes à corpore non dependentes, illud est immortale. Anima habet tales operationes. E. est immortalis. *Major* est clara. Qualis enim

rei

rei est operatio, talis etiam res ut sit, necesse est, cum operatio ex natura proveniat. Nec *minor* probatione indiget. Si quidem nec voluntatis, nec intellectus operationes à corpore dependent.

§. 4. Arg. 3. Si gaudia æterna ac pœnæ æternæ è naturali lumine fuerunt cognita, sequitur immortalitatem animæ etiam ex naturæ lumine cognosci posse. Sed prius est verum. E. & posterius. *Consequentia* est bona exinde, quia Ethnici aliàs frustra illa expectassent gaudia, frustra pœnas istas metuissent. *Assumptio* negari nequit, quia crediderunt dari Campos Elysios, in quibus post hac è vita discessum boni virtutum suarum deportaturi essent præmia; dari orcum sive infernum, in quo malos ob scelera hac in vita designata pœnas luere oporteret promeritas.

§. 5. Possemus plures easque vel innumeras, præprimis Si Aristotelis ac Platonis inniti vellemus auctoritati, rationes animæ stabilientes immortalitatem afferre; at quid verbis est opus, ubi rerum adsunt testimonia? Conf. B. Dn. Gerhard. *loco cit. pag. 245.* B. Dn. Calixtum *cit. loco cap. 1.2.* Dn. Zeilold. *loc. cit.* B. Greg. Horst. *Exerc. nobil. de corpore hum. & anima lib. 2. exerc. 10. quest. 4.5.6.* Scheib. *d. l. cap. 5. n. 20. seqq.* Aliosque.

§. 6. Nos tempori ac chartæ inservientes ex dictis humanæ animæ immortalitatem satis patescere arbitramur. Argumenta itaque contraria etiam visuri pergemus ad

SECTIONEM III.

Rationes veram sententiam oppugnantes continentem.

§. I.

PRIUS autem quàm ad ipsa progredimur argumenta, & hoc juvat præmittere, Antagonistas nostros in diversas abire sententias. Quidam enim animæ immortalitatem negant

negant ac pernegant omnem ; Quidam verò superstitem quidem post divulsionem à corpore animam aliquandiu esse conceduat, tandem tamen etiam ipsam interire statuunt. Verùm enim verò cùm & hi falsâ nitantur hypothesi, ac si anima esset quidam igniculus, nos neutri subscribere possumus parti, sed potius eorū argumenta in unam conferemus congeriem, eò tamen ordine, ut prius testimonia, quæ ex Aristotele nobis objicere solent, post alias quoque eorum videamus rationes. Cùm nonnulli verò Stagiritam dubitasse, ac de animæ ἀθανασία incertum fuisse asserant, mens nostra non est, ut Philosophum à dubitationis liberemus vinculis, ac animæ immortalitatem certò credidisse ajamus, sed potius litem hanc controversam relinquamus in medio, ac ex dictis saltè illis, quæ proferunt, nihil dicamus sequi. Est enim

§. 2. Arg. 1. ex loco Arist. *lib. 1. de anim. t. 12.* Quod si intelligere imaginatio sit quædam, aut non sit sine imaginatione, neque intelligere sine corpore esse possit, adeoque intellectus à corpore non erit separabilis. It. *d. l. text. 13.* Si operationum animæ, vel affectuum aliquis proprius sit ipsius, fieri potest, ut ipsa anima separetur. Sin verò nullus sit ejus proprius, non est separabilis. It. *lib. 3. de an. cap. 8. t. 39.* necesse est eum, qui speculatur, unà cum phantasmate speculari. Phantasma autem non est sine sensu. Ex quibus locis ita inferunt: Quicquid non habet operationem à corpore omninò independentem, illud etiam non habet existentiam extra corpus. Sed anima non habet operationem à corpore omninò independentem. E.

§. 3. Arg. 2. *lib. 3. de an. cap. 8. t. 38.* anima dicitur forma. Omnis autem forma est corruptibilis. It. *lib. 1. de part. anim. cap. 1.* inquit Philosophus, naturalem scientiam nullam rem à materia abstractam considerare. Et *4. Phys. cap. 2. t. 17.* forma non potest separari à re, cujus est forma. Hinc ita concludunt: Quicquid est corruptibile, & à naturali consideratur scientia, aque subjecto separari nequit, illud non est immortale. Anima est talis. E.

§. 4. Arg. 3. *lib. 1. de cælo cap. 12.* Quicquid ortum est, aliquando interire potest. Anima est orta. E.

§. 5. Arg. 4. *lib. 8. Phys. cap. 6. t. 53.* Si movens est æternum, ergo
B & mo-

& mobile. Sed mobile nempe corpus non est æternum. E. nec movens scil. anima.

§. 6. Arg. 5. *lib. 7. Metaph. cap. 5.* Compositio resolutio, nil remanet nisi materia partesve materiales. E. inquit, si homo tanquam compositum per mortem resolvetur, nec anima remanebit.

§. 7. Arg. 6. *lib. 1. Eth. cap. 10. vel 11. in quibusdam editionibus,* dicunt Aristotelem reprehendisse Solonem, quod dixisset, beatitudinem veram superesse homini post hanc vitam. E. ipse Stagirita non credidit animam esse immortalem.

§. 8. Arg. 7. *lib. 3. Eth. cap. 6. vel 9.* dicitur homini mortuo nihil boni aut mali accidere. Si ergo homini mortuo nihil boni aut mali accidit, sequitur animam hominis non esse immortalem.

§. 9. Arg. 8. *lib. 6. Phys. cap. 10. t. 89.* Indivisibile moveri nequit. Anima, *ajunt,* est indivisibilis. E. moveri nequit. Si moveri nequit, *pergunt isti,* sequitur eam esse mortalem.

§. 10. Arg. 9. Aristoteles passim in Physicis negat infinitum. E. & animæ immortalitatem.

§. 11. Arg. 10. *Lib. 3. de an. cap. 5. t. 20.* intellectus passivus est corruptibilis. E. anima est mortalis.

§. 12. Arg. 11. *Lib. de mem. & remin. cap. 1. inquit* Philosophus: memoria & reminiscencia non possunt esse sine phantasmate. E. anima à corpore separari nequit.

§. 13. Hæc sunt præcipua eorum arma, quibus ex Philosopho nostram oppugnant sententiam. His autem alia quoque addunt ratiocinia, & est illorum.

§. 14. Arg. 12. Quicquid potest pati naturaliter, potest etiam corrumpi. Anima potest pati naturaliter. E. anima potest etiam corrumpi. *Major* probatur, quia passio est inchoata quædam corruptio. *Minor* probatur, quia anima, vivente homine, tristitiam & dolorem patitur.

§. 15. Arg. 13. Quicquid crescit & decrescit, illud est mortale & corruptibile. Anima crescit & decrescit. E. *Minor* probatur, quia intellectus in pueris & in juvenibus viget, & in senibus diminuitur.

§. 16. Arg. 14. Si oculus evulsus à corpore ac separatus, nihil potest videre, ita & anima separata nihil potest sentire. Sed oculus à corpore evulsus ac separatus nihil potest videre. E. & anima separata

rata

rata nihil potest sentire. *Consequentia* probant, quia anima etiam est pars corporis.

§. 17. Arg. 15. Quicquid horret separationem à corpore, illud est mortale. Anima horret separationem à corpore. E. anima est mortalis. *Minorem* constare dicunt, quia anima timet corruptionem & interitum mox futurum.

§. 18. Arg. 16. Nullum dissolutum sentit. Anima post mortem est dissoluta. E. anima post mortem non sentit. Si ergo, *pergunt*, anima post mortem non sentit, quid opus est asserere ipsam esse immortalem, cum neque gaudia vitæ æternæ, neque pœnas inferorum sensu percipere possit?

§. 19. Arg. 17. Quicquid est rei essentialè & intrinsecum, illud est inseparabile à re definita. At esse actum corporis organici est essentialè & intrinsecum animæ. E. esse actum corporis organici est inseparabile ab anima.

§. 20. Arg. 18. Si soli Deo sempiterna convenit felicitas, nobis verò non nisi ad breve tempus, dum hujus scil. vitæ fruimur munere, sequitur animam esse mortalem & corruptibilem. Prius est. E. & posterius.

§. 21. Arg. 19. Quicquid est ex nihilo, illud etiam est vertibile in nihilum. Anima rationalis est ex nihilo. E. etiam est vertibilis in nihilum. Et per consequens est mortalis.

§. 22. Arg. 20. Quicquid est corporis principium, illud est corporeum & corruptibile. Anima est corporis principium. E. anima est corporea & corruptibilis.

§. 23. Arg. 21. Si anima humana non corrumpitur corpore abscedente, sequitur, quod anima humana accidentaliter corpori unatur. Posterius dici nequit. E. nec prius.

§. 24. Arg. 22. Quicquid morbis est obnoxium, illud est periturum. Anima morbis est obnoxia. E. anima est peritura.

§. 25. Hæc sunt præcipua partis adversæ fundamenta, quæ quantum in se habeant roboris, videbimus in

SECTIONE ULTIMA

Responsa rationes contrarias resolventia præbente.

§. I. **A**D I. Resp. in hoc argumento neque major, neque minor firmo stat talo. *Non major*, si nempe in genere est sermo de de-

B z

pen-

pendentiâ in operando, quia v. g. causa instrumentalis à principali dependet in operando, quoniam sine eâ effectum producere non potest, quæ tamen à principali non semper dependet in essendo. *Non minor*, quia intellectus utique operatur sine organo corporeo, v. g. cognoscit se amare, intelligere &c. Quod loca attinet Aristotelis, repetenda hîc est *ex Sect. 1. §. 3.* distinctio inter animam *cum corpore* unitam, & inter animam *extra corpus* existentem. De priori, non de posteriori Philosophus *cit. ll.* loquitur, qua nempe, uti inquit Libertus Fromondus *Philos. Christ. de anima lib. 4. cap. 1. art. 2. pag. 708.* intellectus speculatur rem sensibilem, mediante phantasmate, quod à sensu externo rapuit.

§. 2. Ad II. Resp. *Major* quâ secundum membrum non procedit, & Aristoteles *lib. 1. de part. anim. cap. 1.* loquitur de corporibus naturalibus, quæ ad objectum Physicæ spectant. Inde autem non sequitur, nullum dari corporis naturalis principium constitutivum, quod à materia sit abstractum. *Minoris* primum ac ultimum membrum est falsum. Ad locum *ex lib. 3. de an. cap. 8. t. 38.* allegatum dicimus, formam corrumpi non quoad esse suum substantiale, sed quoad rationem informandi. Idem respondemus ad locum *ex 4. Phys. t. 17.* adductum.

§. 3. Ad III. Resp. Locus citatus loquitur de rebus ex materia generatis. Talis autem res anima non est. Quapropter licet anima incipiat cum corpore, non tamen ideò esse desinit cum corpore, sed permanet. Alstedius *Theol. natur. part. 1. cap. 19. pag. 220.* respondet: *Major sic erat concedenda: Quicquid habet ortum, illud & finem accipere potest, potentiâ scil. vel proximâ, quæ deducitur in actum, vel remotâ, quæ non deducitur in actum, quia causa prima non vult, ut deducatur. Dicimus itaque animam esse mortalem, non naturâ, sed gratiâ. Quæ verò defendenda ipsimet linquere, quàm nobis sumere malumus.*

§. 4. Ad IV. Resp. Æternū intelligi potest vel secundum substantiam, vel secundum actionem. *Si prius*, negatur consequentia; *Si posterius*, conceditur totum argumentum. Anima enim per mortem à corpore separata non movet amplius, sed motio, quæ ab anima proveniebat, cessat & corrumpitur, licet anima quoad substantiam incorruptibilis permaneat.

§. 5. Ad

§. 5. Ad V. Resp. Duplex est compositio: *Ex his*, quemadmodum homo componitur ex materia & forma, vel ex 4. elementis; Et *cum his* sicut anima componitur cum corpore vel subjectum cum accidente. Philosopho d. l. non est sermo de quolibet composito, sed tantum de composito ex elementis, ac ostendit, illud non esse ipsa elementa, quoniam toto tali dissolutò, non amplius est, elementa autem sunt.

§. 6. Ad VI. Resp. *N. conseq.* Egit enim Aristoteles loco allegato de beatitudine civili, non autem æterna. Ac reprehendit Solonem, quod beatitudinem civilem homini post mortem superstitem esse statuerit. Nulla verò animæ inde elici potest mortalitas.

§. 7. Ad VII. Resp. Agitur hîc de bono & malo non simpliciter, sed in respectu ad vitam humanam. Quod igitur bonum vel malum est in vitâ humanâ, illud nobis post mortē accidere non potest.

§. 8. Ad IIX. Resp. motus alius est *per se*, alius *à se*. Moveri *per se* dicitur, quod movetur non ad motum alicujus impertinentis, sic corpus animatum, quamvis sit grave, & idcirco pronum ad motum deorsum, tamen ab anima elevatur ad motum etiam contrarium gravi prædicto. *A se* movetur, quod est principium activum immediatum motûs. *Jam limitamus majorem*: Indivisibile moveri nequit motu *per se*. Anima est indivisibilis. E. anima moveri nequit motu *per se*. Id quod ambabus Adversariis largimur manibus. Non autem inde concludere licet, animam esse mortalem, quia non moveri motu *per se*, & immortale esse, sibi invicem, non contrariantur. Quòd si verò in primo argumento intelligatur motus *à se*, tunc negamus majorem, quod nullum indivisibile moveri queat motu *à se*.

§. 9. Ad IX. Resp. Anton. Ruvio *tract. de an. separ. quest. 3. n. 47. concedimus Aristotelem 3. & 8. lib. Phys. docuisse, quod mundus fuerit ab eterno, ex quo negari non potest, quod evidenter sequatur dari infinitum numerum animarum, sed in 3. lib. Phys. solum asseruit & probavit, non esse possibile actu infinitum in corporibus, ita ut nec factibile sit corpus actu infinitum, nec numerus infinitus corporum, de numero verò rerum spiritualium, an possit esse actu infinitus, vel non, nihil prorsus differuit: unde nihil contradictionis ex his locis deduci potest, etiamsi animam rationalem immortalem esse senserit. Verum hanc Ruvionis responsionem per omnia admittere non possumus. Negamus enim in*

eâ, quòd Aristoteles mundum ab æterno esse statuerit. Siquidem Thomas Aquinas *Sum. Theol. part. 1. quest. 46. art. 1.* Albertus Magnus *lib. 8. Phys. tr. 1. & Toletus in comm. Sup. 8. Phys. cap. 2. quest. 1.* rectè dicunt, mentem Philosophi non fuisse, ut mundum ab æterno exitisse censerit, sed voluisse eos præprimis coarguere, qui mundum Physico motu genitum fuisse statuerunt. Vide prolixius hac de quæstione differentem Excell. Dn. Zeisoldum *d. 1. disp. 7. sect. 2.* Nos ad objectionem supra sect. 3. §. 10. allatam respondemus breviter per consequentiæ negationem, negat Aristoteles infinitum dari in rebus corporalibus, non autem spiritualibus.

§. 10. Ad X. Resp. Per intellectum passivum hîc intelligitur phantasia. De intellectu autem spirituali & à corpore separabili ait ibidem Philosophus: *μόνον ἀθάνατον, καὶ αἰδίον εἶναι*, solum immortalem & sempiternum esse.

§. 11. Ad XI. Resp. Reminiscentia loc. cit. est phantasmatis cujusdam inventio. Unde patet argumentum hoc nos planè non ferire cùm de tali reminiscentia hîc non quærat.

§. 12. Ad XII. Resp. *N. Maj.* Tripliciter enim pati aliquid dicitur. (1.) *Propriè*, cùm aliquid removetur ab eò, cui secundum naturam convenit. (2.) *Si aliquid* ab aliquo abjicitur, sive de ejus natura fit, sive non. (3.) *Pati communiter* aliquid dicitur ex hoc solo, quod in potentia ad aliquid recipiat illud, ad quod erat in potentia, sine alicujus abjectione. Passio postremo hoc modo accepta nullam involvit materiam, corruptionem nullam.

§. 13. Ad XIII. Resp. *N. Min.* Ipsa enim anima in pueris non crescit, nec in senibus diminuitur, sed tantùm operationes ejus. *Inquis*: Anima est substantia. Substantiæ autem recipiunt majus & minus. E. & anima. Resp. Non est de essentia substantiarum, ut recipiant majus & minus, præprimis si de substantiis incorporeis in suo genere sit sermo.

§. 14. Ad XIV. Resp. *N. C.* Ad probationem dicimus, animam non esse corporis, sed hominis partem.

§. 15. Ad XV. Resp. *N. Maj.* Horror enim iste nascitur ex appetitu sensitivo, qui dolorem ex separatione animæ à corpore reformidat; vel etiam ex appetitu rationali, quando exitura anima grave peccatorum onus per sentit, non autem, quando anima nihil sibi con-

conscia è corpore ad cœlum migratura egreditur. Tantum itaque abest, ut timor mortis animæ immortalitatem destruat, ut potius pro ea faciat. Si enim, uti rectè observavit Alsted. *d. l.* homo certo sciret, animam suam interituram, non tantopere odisset mortem. Sed quia scit, aliud superesse tribunal, illud metuit; impius quidem timore servili, pius autem filiali tenetur timore.

§. 16. Ad XVI. Resp. *Lim. Maj.* Nullum dissolutum sentit organo corporeo. Anima post mortem est dissoluta. E. Anima post mortem non sentit organo corporeo. Id quod concedimus. Sentit interim, ac vel gaudia vitæ æternæ, vel pœnas infernales intellectu percipit.

§. 17. Ad XVII. Resp. Revocanda hîc est distinctio, quam *Señ. 1. §. 3.* adduximus, ac distinximus inter animam cum corpore unitam, & extra corpus persistentem. Esse actum corporis organici est essenziale & intrinsecum animæ priori, non verò posteriori modo considerata, de quâ tamen hîc est quæstio.

§. 18. Ad XIX. Resp. (1.) *Dist.* inter S. B. simpliciter & S. B. secundùm quid. *Summum Bonum simpliciter* Deo soli competit, quippe qui, ipso Salvatore teste *Matth. 19. vers. 17.* Solus bonus est. *Summum Bonum* autem secundùm quid etiam nos adipiscimur, quatenus nempe illius à Deo reddimur participes. (2.) *Dist.* inter S. B. *Ethicè* & *Theologicè* consideratum. Si in argumento S. B. *Ethicè* consideratur, nihil contra nos concludit, & prætereà propositionis consequentia est nulla. Sin *Theologicè*, Assumptio est falsa: Deus enim pios sempiternâ condonat felicitate.

§. 19. Ad XIX. Resp. *Lim. Maj.* Quicquid est ex nihilo, illud etiam est vertibile in nihilum, eò scil. modò, quo est ex nihilo. Sic argumentum nobis non adversatur. *Naturâ* enim *immortale* dicitur bifariam: I. *Simpliciter*, qua subjecti alicujus essentia, neque juxta potentiam naturalem, neque juxta potentiam obœdientialem, neque respectu illius intrinseci, aut extrinseci principii potest admittere destructionem; ita solus Deus naturâ est immortalis; *non verò anima humana.* 2. *Ex suppositione*, quâ subjectum aliquod non corrumpitur, nec corruptibile est à naturâ, nisi per retractionem manus, (ut ita loquamur) sive per suspensionem conservationis divinæ. Sic *anima humana est immortalis.*

§. 20.

§. 20. Ad XX. Resp. Neg. Majorem. Quin ipsimet illis, qui ita argumentantur, concedentibus, materia, qua constant omnia corpora, etiam corruptibilia, est incorruptibilis. Effet verò ea corruptibilis, si hæc valeret collectio.

§. 21. Ad XXI. Resp. N. C. Ad accidens enim non sufficit, ut corpore s. subjecto discedente non corrumpatur, sed ut antea corpori tanquam subjecto inhæserit, quod de anima dici nequit. Anima enim est substantia, una autem substantia alteri tanquam subjecto inesse non potest.

§. 22. Ad XXII. Resp. Neg. Min. Morbus enim non animæ, sed corporis passio est. Et hoc testatur passim ipse Philosophorum Coryphæus, docens, in cæco vel aliàs visus infirmitate laborante non ægrotare animam, sed corpus. Compatitur quidem anima, & dolores sentit, sed ipsa morbis non afficitur. Quin & illa compassio attinet ipsam solùm, ut est unita corpori passionibus obnoxio.

Nihil igitur contra nos infertur.

IMMORTALI DEO GRATIAS AGIMUS
IMMORTALES!

Ad pereximium Dn. M. Philippum Amandum Horstium.

Immortalem animam docto dum porrigis orbi,
Immortale tibi nomen, AMANDE, precor.

SEBASTIANUS Nieman S. Th. D. & Prof. P.

Mortalis cum sis, non immortalia cures †:
De mente nescia mori

Cur ergo thesibus doctis disquiris? AMICE.

Sit hic labor faustissimus.

Perge. Premes sancti vestigia clara Parentis,
Sic proderisque Patriæ.


† Ita enim præcepit Epicharmus, Philosophus, uti refertur à Magistro
in doctis. Comment, Libr. Ethic. L. 10. c. 7. p. m. 984.

Hæc αυτοχρηδίαζου

Tuus

M. HENRICUS Crell Altenburgensis.

FINIS.









Fb 3341


ULB Halle 3
001 846 40X



TA-OC

Fb





14

15.

ALI ANNUENTE

ac
TATE PHILOSOPHICA
TIENTE,
PSYCHOLOGICAM

ORTA.

ANIMÆ
ANÆ

ditè Philosophantium
mini

Novembris
o Ioc LXII.

nt
S AMANDVS

JENENSIS

DIDELIUS,
URINGUS.

Æ
HERIANO.